et notariatus officium concedendi et quolibet eorum
auctoritate imperiali per pennam et calamarium
ut moris est de huiusmodi officio investiendi
dummodo in adeptione dicti officii habiles
eos et quemlibet ipsorum ydoneum invenerit
super quo tuam conscientiam oneramus. Ita tamen
quod ab ipsis tabellionibus seu notariis publicis
per te fiendis et creandis ut permittitur
ac eorum quolibet vice ac nomine nostro et
sacri Romani imperii et pro ipso sacro Romano
imperio debitum fidelitatis corporale recipias
iuramentum. quod videlicet erunt nobis et
successoribus nostris Romanis imperatoribus
et Regibus canonice intrantibus et sacro
Romano Imperio fideles. nec unquam erunt
in consilio ubi nostrum tractetur periculum. bonum
nostrum et salutem promovebunt pro viribus
suis. et dampna nostra pro sua possibilitate
avertent fideliter. Instrumenta publica quam
privata ultimas voluntates codicillos
seu testamenta quecumque et quorumcumque iudiciorum
acta et omnia alia que ipsis ex debito dicti
officii scribenda et facienda occurrerint iuste
pure et fideliter sine dolo et falsitate et
simulatione scribent legent et facient non
attendentes odium munera vel precium. Scrip-
turas vero per eos in formam publicam re-
digendas in membranis et non in cartis abrasis
vel in papiro conscribent. Causas ho-
spitalium ac miserabilium personarum necnon
utilitatem publicam pro viribus promovebunt
Omnes autem et dicta testium donec fuerint
publicanda secrete et fideliter retinebunt